



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica Recapitulatio

Molanus, Johannes

Dvaci, 1616

Martii

urn:nbn:de:hbz:466:1-9477

æneum cara plenum superimponit, sed cum strues lignorum combusta decideret, & sartago feruens in alteram partem inclinaret, virguncula fide armata, de medio flammarum luterem bullientem manibus nudis sine vlla læsione in pavementum deposuit. Tantum apud Deum & meritum iubentis & virtus obedientis promeruit. Successit autem materteræ in regimine Malbodij per annos duodecim: post quam germana soror Madelberta per annos nouem.

Prima die MARTII.

De sancto Switberto, coëpiscopo sancti Willibrordi, & Apostolo Teisterbandiæ.

Ex sanctis vitæ eius scriptoribus Marcellino & Ludgero: & in eos obseruationibus Ioannis Nordwijck Goudani, Canonici Ultraiectensis.

IN oppido imperiali, quod Vuerda dicitur, natalis sancti SWITBERTI, episcopi & confessoris. Qui temporibus Pipini, vnâ cum sancto Willibrordo, verbum salutis gentibus prædicauit. Hic inter cætera genera, morbum quem Physici anginam nominant, solitus est curare. Secundus nominatur inter Apostolicos illos viros qui ex Anglia venerunt fidem prædicatum Frisijs, Hollandis & vicinis. Inter quos adhuc presbyter existens, multos conuertit, potissimum incolas grandis vici *Duerstadt*, qui nunc est oppidum *Wije*, & ciuitatis *Hagenstein*, quæ nunc est pagus, *Vianæ* contiguus. Cumque per eum & Willibrordum numerus credentium quotidie augeretur, ex petitione fratrum in *Traiecto* & *Frisia*, vterque consensit,

sensit, vt episcopus consecraretur. Vnde sanctus
 Switbertus, quem Beda nominat vita modestum *Lib. 5. c. 12.*
 & corde mansuetum, in Angliam vadens, conse-
 cratus est à sancto Vulfrido, episcopo Merciorum
 anno sexcentesimo nonagesimo quinto, in festo
 S. Bartholomæi. Sanctus verò Willibrordus Pi-
 pinum principem adiit, cùmque ab eo dimissus
 esset, Romam iuit, vbi à Sergio papa anno se-
 quenti est ordinatus. Et quanquam Switbertus
 Willibrordum tempore præcedat, hic tamen il-
 lum dignitate antecit, & primus archiepiscopus
 Traiectensis appellatur, eo quod à Sergio Friso-
 num archiepiscopus specialiter sit consecratus, &
 ad eundem populum missus. Sanctus Switbertus
 verò non appellatur Traiectensis episcopus: sed
 coëpiscopus sancti Willibrordi. Specialiter tamen
 nominatur Apostolus Teisterbandiæ, Vuestfaliæ,
 & Boructuariorum. *Comitatum*, inquit Marcelli- *Capite 12.*
 nus, *Teisterbandiæ, cum tota fere Batua, ac magnam* *vita.*
partem inferioris Frisia, prædicatione conuertit, & eccle-
siam Traiectensem numero fidelium valde multiplicauit.
 Inferioris Frisiæ partes docti intelligunt, Aléma-
 riam potissimum, & Vuaterlandiam, Batua no-
 men retinet. Sed Teisterbandia hodie partim
 Hollandiæ est, partim Geldriæ, diuisa fere in di-
 tionem de *Alienae*, Huesdensem, Werdam siue
 insulam Bommelsenem, & Tilensem. In hoc Co-
 mitatu multas ædicauit ecclesias, & templa quæ
 idolorum erant, Deo consecrauit. Loca aliquot *Capite 12.*
 in historia exprimentur, videlicet, in *Zandwije*,
 apud Tilam, qui locus hodie non est. In *Arkel*,
 & *Hoernaer*, quæ loca sunt villæ ditionis Gorco-
 miensis: In *Schoenreford*: hodie dicitur *Schennewoert*,
 prope *Leerdam*, in *Aut-hensden* prope *Huesden*:

in *Wondrighem*, quod modo dicitur oppidum
Worcum: in *Aelborch*, *Giesen* & *Aijswijk*, inter
Worcum & *Huesden*: in *Almkerck*, quod est ter-
 ritorij de *Altenae*: in *Maelsem*, *Erkum* & *Auesaed*,
 quæ sunt ditionis *Burenfis*, & in pluribus alijs lo-
 cis. In his magna deuotione ecclesias consecrauit.
 Atque plebem per se conuersam, orationibus
 protegebat assiduis, & admonitionibus saluber-
 rimis ad cælestia vocabat. Conuertit etiam extra
 Belgium *Westfalos*, & *Boruictuarios*. Qui viden-
 tur esse hodie *Markenses*, aut vicini. Tacitus
Bructeros videtur appellare, qui ad *Lippiam*
Westphaliæ flumen fuerunt. Quorum moni-
 mentum testatur ciuitas *Boruch*, haud longe à *Wer-*
da *Cæsaris*. Porro dictum iam vicum *Werdam*
 ad *Rhenum* contulit ei illustis princeps *Pipi-*
 nus, propter profectum & firmamentum sui prin-
 cipatus. Vnde etiam locus alicubi nominatur *In-*
sula S. Swibert. Fuit enim prius insula, sicut ex
 nomine perpendi potest, sed modo adiunctus est
 continenti. Obiit eidem *Pipinus* copiosum
 thesaurum pecuniarum, quibus monasterium ibi-
 dem ædificauit, in quo agmen famulorum *Christi*
 collegit. Obijt autem sanctus *Swibertus* episco-
 pus anno septingentesimo decimo septimo, post
 inultorum populorum conuersionem, sepultus in
 monasterio suo in *Werda Cæsaris*, Vbi ad sepul-
 crum ipsius infirmi sanati sunt, cæci visum, claudi
 gressum, febricitantes incolumitatem impetra-
 runt. Vnde *Pipinus*, *Caroli Martelli* filius, vicum
Werdam in castrum conuertit, cuius etiam meri-
 tis victoriam contra paganos obtinuit. Est in ter-
 ritorio Ducis *Cluiæ*: ibique *Traiectenses* non
 immeritò beneficio istius Apostoli, libertatem à
 vecti-

A Lamb.
 Schafna-
 burg anno
 1062.

vectigalibus impetrarunt, ab archiepiscopis & Cæsaribus, licet nunc eis illa denegetur. Ad natalem diem & alibi, historia exstat per sanctos viros, Marcellinum presbyterum, & Ludgerum episcopum Monasteriensem.

Secunda die Martij.

1^o. De sancto Willeico confessore.

Ex Marcellino, capite 26. vitæ S. Switberti

Verdæ, natale sancti WILLEICI confessoris, presbyteri sancti Switberti episcopi. Hic euangelicus sacerdos & confessor, primum fuit Canonicus conuentus nouellæ Traiectensis ecclesiæ, vas virtutum, Latina lingua & Germana eruditus; eloquentissimus & mansuetissimus; iræ & auaritiæ victor; superbix & vanæ gloriæ contemtor, pauperum & infirmorum consolator. Multos gentiles in diuersis prouincijs saluberrima prædicatione à veneno idololatriæ, ad dulcorem fidei Christi perduxit. Postea Præpositus fuit in Werdensi monasterio, sub sancto Switberto, coëpiscopo sancti Willibrordi, cui congregationi annis decem, post mortem sanctissimi præfulis, præfuit. Mortuus est anno septingentesimo vigesimo septimo,

2^o. De Sancto Carolo martyre, filio
Sancti Kanuti Regis.

Ex Gualtero archidiacono, & informatione quam Bru-
gis accepi à dominis Canonicis Pamelio, Laurentiano,
& à Sacrista.

Multa de eo
praclara
commemo-
rantur a-
pud Ainos.
num lib. 5.
de gestis
Francorum
c. 5. & ex-
tat vsta
eius recen-
ter edita
Parisijs
1615.

BRugis, occisio sancti Caroli, inclyti Flandriæ
Marchionis, siue Comitis. Hic patrem habuit
martyrem, sanctum Canutum, regem Danorum: & ipse
non minori gloria martyr occubuit. Cum enim in maxima
Galliarum fame, liberali eniteret magnificentia, ac innu-
meris pauperibus quotidiana victus stipendia ministraret,
coëgit prapotentem Stratensium familiam, vt frumentum
in horrea congestum, partim iusto pretio venderet, par-
tim gratis emeretur. Vnde in eum exorta est scedissima
Stratensium coniuratio, quæ postmodum lite inter Stra-
tenses & Thagmarum equitem exorta, maiores vires accepit,
beato Carolo de iustitiæ regula cedere nolente. Itaque
dum sanctus Marchio Ippis conuentum nobilitatis ad fan-
nandam Stratensium amentiam indixit, illi magis conspi-
rarunt in religiosissimi principis necem. Eandem que po-
stea sacrilegè perfecerunt. Anno enim millesimo centesimo
vigesimo septimo, Carolus Brugis, prima luce, religione
plenus, ad templum sancti Donatiani procedebat, admo-
nitusque vt sibi ab inimicis caueret, fortiter respondit,
*Difficile est vbiq; cauere: Deo protegente, securi agemus.
Quod si pro iustitia, ac veritate occumbere contingat,
quid ea morte gloriosius?* Statim autem pro iustitia occu-
buit. Ante altare enim Deiparæ Virginis in superiore parte
templi precibus incumbens, trucidatus est, & deiectus à
Burchardo Stratensi, & reliquis parricidis. Quos omnes
supplicium & vltio diuina: illum autem gloria immortalis
est consecuta, & memoria consecrata. Nam & ad exanime
corpus statim sanitatem consequebatur Rogerius adoles-
cens, omnibus membris contractus. Ciues autem Brugen-
ses, non passi alio euehi corpus, sepelierunt illud in æde
diu

diui Christophori. Quæ omnia, multoque plura leguntur apud Vualterum archidiaconum Morinensem in libro de vita & interfectione sancti Caroli, & de vindicta interfectorum, qui conseruatur in sacrario Brugensi. Legatur etiam liber quintus Pauli Æmylij. Meierus in Flandriæ annalibus habet sequentes versus:

Templa, Deum, viduas, reparando, colendo, cibando,
Martha, Maria, pius Samaritanus, eras.

Sernus, iustitia, templum, Marrisque secunda,

Cæsor, causa, locus, lux tibi mortis erant.

Reliquiæ ex sepulcro eleuatæ sunt, & in sacrario diui Donatiani in feretro conseruantur. Annuè anniuersarium habet, cum quorundam tamen contradictione, & feretrum eius in medio chori ponitur, & ad candelas pendent antiqua Flandriæ insignia. Neque enim ipse leonem habuit. Eodem die in sacrario sermo de eius meritis habetur, & reliquiæ populo exhibentur. Fuit longus nouem pedes, cui longitudini articuli digitorum, aliæque membra respondent. Ex vulnerato cranio sæpius bibunt febricitantes. Ad locum deiectionis supra summum altare erecta est à maioribus crux, cum quatuor clauis, in memoriam eius. Quomodo passim in vijs cruces conspiciuntur, in memoriam cæsorum erectæ.

Tertia die Martij.

1^o. De sancto Vuinualoëo abbate Britanno.

*Ex historia Londini & Colonia excusa: & ex
munimentis Blandinij.*

IN Blandinio monasterio, natalis sancti Vuinualoëi abbatis. Qui inter Britannos multum claruit sanctitate, & in digito Dei non pauca patrauit miracula. Vnde nomen eius adhuc uiuentis in tota Britannia celebre erat, & velut angelus Dei ab hominibus honorabatur. Claruit

cum beato Patritio, Hiberniæ Apostolo, in suo monasterio Tauraci sepultus. Sed reliquum historiarum eius apud Surium legatur, vel in historia sanctorum Angliæ Reliquiæ corporis occasione persecutionis Nordmannicæ, quæ etiam inter Britanos sæuijt, in Gallias sunt auectæ, & postmodum translata Gandauum, ad sancti Petri monasterium, quod est in monte Blandinio. Vnde Calendis Augusti annuè legitur. In Blandinio, translatio sancti Winualoëi abbatis. Discipulum habuit sanctum Ethbinum diaconum, cuius festiuitas agitur decimo quarto Calendas Nouembris. Animaduerti autem sanctum Winualoëum à quibusdam alio nomine vocari sanctum Galnatum.

2^o. *De beato Ruperto, abbate Tuitiensi.*

Ex epitaphio, quod saxo insculptum est, oratione Trithemij, & declamatione Agriiij.

ANno Domini millesimo centesimo trigesimo quinto, quarto Nonas Martij, obiit venerabilis pater, ac dominus, Rupertus, abbas Tuitiensis monasterij, vir doctissimus & religiosissimus, vt in libris suis, quos edidit, apertissimè claret.

*Colonia. an.
72.*

In cuius multa. n. laudem exstat oratio Ioannis Trithemij, abbatis Spanhemensis, & declamatio Matthiæ Agriiij Vuitlichij. Quamuis enim inter diuos patres non sit relatus ab ecclesia, creditur tamen cum sanctis in caelesti beatitudine festiuare.

Merito verò inter luminaria Leodiensis ecclesiæ est numerandus, quia omnem officij pietatisque rationem, eruditus est in monasterio sancti Laurentij, in monte publico, Leodij, sub Berengario abbate, & præceptore Heribrando, viro fidei & prudenti, qui Berengario in regimine successit. Vterque autem eum velut pupillum tutori commisit Cunoni, abbati Sigeburgensi, quando propter inuidiam nominis sui abegandum putauerunt ex oculis odientium eum

eam gratis. Ut ipsemet testatur in præfatione librorum de operibus sanctæ Trinitatis. Ita vir sanctus, per inuidiam ultra Rhenum iactatus, in Tuitio abbas substitit, & inter Doctores ecclesiæ inclaruit. Opera eius sæpius tribus tomis excusa sunt, in quibus tamen quædam hæctenus desiderantur. Est autem Tuitium apud Coloniam transrhenanus pagus, Iudzorum officinis famosus.

Sexto Martij.

10. De beata Coleta Gandauensi.

Ex breui legēda Parisiis impressa, interprete Iudoco Clichthoneo, cui subieci quæ Gandau anno septuagesimo sexto vidi, & excepti à presbyteris & matre virginum Coletanarum.

IN Bethlehem, conuentu ordinis sanctæ Claræ intra Gandauum, depositio beatæ Coletæ Boylettæ, de Corbeia anno millesimo quadringentesimo quadragesimo septimo. Quæ primum circiter quatuor annos Corbiæ occlusa, vitam egit in magna austeritate & abstinentia. Deinde maturo consilio, & pro redintegratione secundi ordinis sancti Francisci anhelans, à Benedicto decimo tertio capitis velamen & chordam accepit, regulam sanctæ Claræ strictè se seruaturam profitens. Quam etiam matrem constituit omnium sororum, quæ per ipsam reformarentur, aut susciperentur. Sedit is Pontifex contra Ianocentium septimum, & Gregorium duodecimum. Sed eius obedientiæ suberant Gallia, Hispania, & Anglia & sanctus Vincentius, magister palarij eius, alijque sapientissimi viri iudicabant, quemque suæ regionis pontifici subiectum esse debere, donec à generali Concilio aliud determinaretur. Cùm autem sanctos Dei pro felici successu sæpius inuocaret, minus honorabat beatam Annam, quod multis viris nupta diceretur, sed postea caelesti visione monita, sese correxit. Non hic refero quot mortuos suscitaret, & quibus alijs claruerit miraculis, sed ordinis disciplina commendanda est, quam cum sororibus suis in prima domo Bisontinensi, & sequacibus, seruauit. Erant viuentes in rigida austeritate

De B. Coleta præclare scribit Ioannes Nider lib. 4. Perauarij c. 2.

regularis disciplinæ, in vera paupertate, nullos redditus, aut certa bona possidentes in particulari, neque in communi. Toto itidem anni spatio, perpetuum seruantes ieiunium, nunquam carnibus vescentes, æstate & hyeme semper nudis pedibus incedentes, arctissima clausura ab hominum turba separata. Multas superauit tribulationes, tum hominum, tum immundorum spirituum. Inter visitandum autem monasteria sua vltimam hyemem Gandani transegit, vbi sexta deinde die Martij Deo spiritum suum cum summa deuotione tradidit. Post obitum, etsi multa admiranda contigerint, corpustamen, pro vt petierat, in cœmeterio sine exsequiarum apparatu est sepultum. Vitæ historiam fusè scripserunt, Gallicè Petrus de * Annalibus, eius & Ordinis Colletanarum confessarius: Latinè, Stephanus de Iuliaco, Franciscanus, Theologus Parisiensis: & Flandricæ, Oliuerius de Langhe, Prior ad sanctum Bauonem. Multa etiam vidi Gandani de eius vita, miraculis, & instituto, publica & authentica Prælatorum instrumenta. Qualia nusquam in Belgio de quoquam sancto exstare puto. In memoriam huius virginis sexta die Martij abstinetur ab opere mechanico, & summum sacrum fit de Deipara virgine, & omnibus sanctis. Quod etiam Hældinij, & alibi, obseruari arbitror. Legunt priuatim in Litanijs, *Beata mater Coleta, ora pro nobis*, Dicitur etiam Gandensibus permissum fuisse, vt festum eius celebrarent, sed Patres id non permisisse, nisi consensus obtineretur pro toto ordine. Quem Gericus celebris Theologus, & ecclesiastes, dum Belgica quædam Ordinis sui negotia Romæ obiret, à Pio quinto iteratò pro omnibus Coletanis, multa virginis encomia proferens, expetijt. Cui Pius optimus pontifex respondit: *Habeam aliqua eorum que dicis documenta, & libenter tuo, Virginumque sacrarum desiderio hac in parte satisfaciam*. Itaque documenta multa collecta sunt, & à Cornelio Iansenio episcopo Gandauenſi suo sigillo, & Secretarij manu consignata, & Romam transmissa. Quæ tamen post mortem demum Pij pontificis eo peruenerunt. Vnde res non est transacta; Corpus virginum ad digniorem locum eleuatum est intra clausuram. Exhibetur autem memoriam eius visitantibus grisea cappa, qua vestiri solet. Ex aqua denique beatæ Coletæ febricitantes sæpe consolationem accipiunt.

f. Nata-
libus.

*Eiusdem
vitam car-
mine scrip-
sit Eligius
Eucharistius
cum vitis
aliorum a-
liquos SS.
Gandauen-
ſium. Excus-
sus est liber
Paris. in 4.
1511.*

2^o. De obitu B. Godegrandi, epif.
Metensis.

*Ex libro de vita eius. Quam tamen non legi: sed multa
inde citantur Centuria octava, capite decimo*

Metis, obitus beati Godegrandi episcopi, & confessoris Qui in Hasbania, Gallia regione, natus est ex patre illustri & nobili Sigiramno, & Landrada, filia Caroli Martelli, quæ soror erat Pipini regis. Literis & pietati operam nauavit, primum in monasterio sancti Trudonis, deinde Metis. Ætate maturiorem Carolus in aulam vocavit, & à consilijs suis esse iussit. In qua functione clericorum & monachorum patronum & aduocatum præbuit. A clero autem Metensi in episcopum electus, nihilominus princeps palatij, & totius Gallia dux, & Reipublicæ consiliarius mansit. Pallam, archiepiscopi insigne, & potestatem per totas Gallias episcopos ordinandi, à Stephano accepit, Tria exstruxit monasteria. Fuit mitior columba, clementior agno, innocentior vitulo. Habitu vilissimo vsus est, adeo vt vix agnosceretur episcopus à peregrinis. Cilicio, vigilijs, ieiunio corpus suum castigauit, in peccantes rigidus, in pauperes liberalis. Sigebertus obijssit scribit anno septingentesimo sexagesimo quinto. Qui etiã, in libro de viris illustribus memorat eum sanctæ religionis regulam scripsisse, quam specialiter Mettensis ecclesiæ clericis obseruandam dedit. Sed hanc regulam, vt pleræque aliæ ecclesiæ, sub Vualone episcopo abiecerunt, & facti sunt nomine & conuersatione Canonici sæculares, & proprietarij.

Die

Die septima Martij.

De beato Frederico fundatore Horti
sanctæ Mariæ.

*Ex historia descripta per Sibrandum sextum eiusdem
monasterij abbatem.*

IN horto beatæ Mariæ, obitus recolendæ me-
moræ Frederici, primi abbatis & fundatoris.
Qui in villa Hallum ex parentibus nobilibus sed tenuibus
natus, à teneris annis pietatem amavit. Puer enim ouiculis
pascendis destinatus, aut Dominicam orationem rumina-
bat, aut de argillosa terra basilicas vel altaria construēbat.
Postea consilio optimatum parochiæ in Hallum liberalibus
studijs appositus est. Cum autem mater ob inopiam rei fa-
miliaris de sumptibus diffideret, reperit in collo reptilis
annulum, quem omnibus sui pagi die Dominico exhibuit
ne forte alicui excidisset. Sed cum à nullo agnosceretur,
intellexit plena fide in sumptus filij destinatum esse. A quo
tempore nunquam ei necessaria defuerunt in Hallum aut
postea in Monasterio liberalibus vel diuinis studijs incum-
benti. Propter castimoniam puritatem præcipuè honorabat
beatam Mariam, Ioannem Euangelistam, & Cæciliam.
Cum autem ad legitimam ætatem peruenisset, multorum
rogatu ad sacerdotij ordinem peruenit; deinde morienti
Pastori Hallumensi, cui cooperarius fuerat, successit, dili-
gens in diuino officio, ob quod sæpius diabolicas pertulit
incurfiones: singulariter deuotus in beatam virginem: vn-
de mos inibi inoleuit, etiam per Sabbatha Quadragesimæ
Missam de ea cantare. Non solum autem multa abstinentiæ
alijsque virtutibus claruit, sed & cum miraculis, & spiritu
prophético. Memorabile est miraculum. Moris erat tunc
paruulos infra Quadragesimam natos nouis fontibus bap-
tizandos seruare. Contigit puerum talem catechumenum
in villa proxima sine gratia baptismatis mori. Quod pius
Pastor intelligens, & negligentiam suis peccatis imputans,
in ecclesiam cucurrit, & a beata Virgine vitam eius donec
baptizatus esset exorauit. Ita puer vitæ restitutus baptismi
gratiam est consecutus, & postmodum vitam hanc feliciter
commu-

commutauit. Addam & aliud, quod ex spiritus Dei instinctu cognouit. Sciuit mulierem quandam maritum suum suffocasse opera cuiusdam iuuenis, qui quod filiolarum nondum nubili desponsatus esset cum ea habitabat, & quod horrendum est, eodem ipsa relicto legitimo thoro turpiter abutebatur. Quæ res in funere alijs detecta est: sed vir sanctus utriusque vitam saluauit. Vnde mulier irremediabili exilio damnata est: adolescens verò truncato naso & sectis genitalibus in coenobium Cisterciensis ordinis reclusus est. Vbi cum vitæ scriptor, iuuenis, cum horrore vidit. Porro Fredericus mortua matre pro eius refrigerio seipsum Christo & beatæ Mariæ obrulit, testans se deinceps secundum regulam diui Augustini viuere velle, vt anima matris in pace requiescat. Die itaque sequenti Traiectum vadit, ab episcopo habitu induitur Canonico, & licentiam accipit monasterium clericorum construendi. Inde ad Insulam beatæ Mariæ, domum ordinis Præmonstratensis, diuertit, vbi sanctos mores sribundo pectore hausit. Domum reuersus, in loco campestri & mari vicino monasterium construxit, quod Hortum beatæ Mariæ nuncupauit, in quo præcipuè pauperes recepit, quod eos videret à nouella Griseorum seu Cisterciensium in Frisia plantatione non recipi. Inter clericos Tadeconem habuit, virum eloquio clarum, & gratia prædicationis insignem, qui tantam multitudinem attraxit, vt nouella plantatio eos non caperet. Vnde per se congregationem instituit, quæ in duas est distincta. Vna trans Louicam in Merne, altera Dockingem ad sanctum Bonifacium. Confluxerunt etiam ad beatum Fredericum mulieres & virgines, quibus monasterium construxit, Bethlehem dictum. Quibus in locis tanta fuit concordia, charitas, paupertas, humilitas, & deuotionis puritas, vt primitiuae ecclesie rudimenta viderentur. Reddidit autem vir sanctus creatori animam anno gratiæ millesimo centesimo septuagesimo quinto, à fundatione domus decimo tertio. Corpusculum, quod, cum ablueretur, miri odoris fragrantiam perfundebat, sepultum est in capella beatæ Mariæ, postea tamen ob loci humiditatem translatum est ad medium ecclesie. Claruit autem tantis miraculis post mortem, potissimum circa paralyticos, aridos, lunaticos, & similes, ita vt per totam Frisiam mortuus magis coeperit honorari quàm viuus, vt non sit mirum ad nostra vsque tempora

Martij 8.

N A T A L E S

tempora ad tumbam sancti viri multos vota persolvere, luminaria ponere, & alia sanctitatis officia frequentare. Cæterum locus iste *Martegaerdt* intra paucos annos derelictus est, quando Apostolicæ Sedi placuit plantationem Frederici ad nouum episcopatum Leouardiensem transfere, & in cathedrales Canonicos, & Episcopi opitulationes transmutare.

Die octaua Martij:

De sancto Hunfrido, episcopo Teruänensi.

De eo Martij 8. Ex Iperio, chronographo Bertinensi, & rescripto Nicolai primi.

Ex Chronicis ad 5. Bertinum, capite 16.

IN territorio Teruänensi, sancti HUNFRIDI, episcopi eiusdem ciuitatis, & abbatis Sithienfis. Primum hic fuit monachus, Prumiæ in Arduenna, deinde Morinensis siue Teruänensis ecclesiæ episcopus, successor sancti Folcuini, vir sanctus, & omni bonitate conspicuus. Qui etiam precibus obnixis monachorum sancti Bertini sollicitatus, anno nono sui episcopatus, eorum abbatiam regendam suscepit, solum pietate religionis motus. Sub quo nobilis puer Megenfridus à patre Ruodwaldo monasterio est oblatus, cum parte hæreditatis suæ, in pago Boloniensi & mancipijs quatuor. Cui donationi postea adiecit anno octingentesimo sexagesimo septimo mansum vnum cum seruo, vxore & liberis. Eique donationi Grimboldus diaconus & monachus subscripsit. Cæterum abbatiam duobus tantum annis rexit: post bellum enim Nordmannicum, Carolus Caluus, eo cum dedecore deposito, intrusit decimum-septimum abbatem Hilduinum Canonicum sæcularem de senioratu Lotharij, suum consiliarium. Superuixit autem triennio in episcopatu,

copatu, & migrans ad Dominum, successorem
habuit Acardum.

A Nordmannis de episcopio pulsus, Nico-
laum primum consuluit, an deberet de cætero
in monasterio conuersari. Cui Pontifex rescripsit:
*Si perniciosum est proceram in tranquillitate nauim de-
serere, quanto magis in fluctibus? Vbi non dicimus quod* *Causa 7. f.*
persecutorum non fugiamus insidias, cum ad tempus sa- *1. Capite,*
uiunt, & ob multitudinem delictorum nostrorum nocen- *Sciscitaris.*
di facultatem diuinitus assequuntur: sed quod præcipue
nos, qui tanquam arietes ducatum gregibus præbemus,
immo qui & horum auctores sumus, Deo auctore cum eis
in periculis pro viribus persistere pro certo conueniat, &
cum tranquillitas reddita diuina fuerit pietate, mox gre-
gem perquirere, & in unū colligere debemus: & cætera.

Festum ostensionis notatur in Breuiario Mo-
rinensi decimo septimo calendas Septembris Sed
Carolus quintus, Teruana capta, direpta, extir-
pata, corpus sanctum cum portione sedis episco-
palis, Ipras transtulit.

Die decima Martij.

De sancto Himelino.

*Ex relato incolarum, & consensu scriptorum in Ru-
bea-valle, & Throno.*

FEnaci, obitus beati Himelini Scoti, presby-
teri. Qui beato Rumoldo carne propinquus: aut,
vt alij dicunt, eius affinis, febre pestilentiali tactus, obiit,
mirificante Domino obitum eius multis signis. Non est
per episcopum eleuatus, aut Apostolica auctoritate sanctis
asciplus; locus tamen dicitur vulgo, *Sinte Himelÿns Visse-
naken*. vbi in crypta sub campanili quiescit, & in altari
imaginem habet, ac frequenti ad eius memoriam cōcurso,
multum

multum est honoratus, etiam à longè disitis. In registis locus nominatur Fenacum sancti Martini. Subest autem archipresbytero Thenarum in montibus.

à Galli nominant hoc oppidum *Tiel-es-mons.*

Die vndecima Martij.

De sancto Vindiciano, episc. Cameracensi.

Ex historia manu-scripta; & Chronicis Atrebatum.

IN pago Atrebatum, depositio sanctissimi **VINDICIANI**, episcopi & confessoris. Qui plebem suam multitudinis numerosæ creberrimis prædicationibus conuertit, ad exsequendam normam vitæ melioris. Ecclesiam Dei genitricis Atrebatensem, ex rebus proprijs, vnâ etiam cum rege Theodorico, augmentauit villis, ecclesijs, terris, molendinis, alijsque subsidijs. In villa *Hunob-curt*, sedis Cameracensis, cum pretiosissimo martyre Lamberto, monasterium consecrauit, ad laudem Dei & venerationem sancti Petri, ibique clericos & sanctimoniales constituit. Migravit ad Christum in Brosella (pro quo aliqui codices habent^r Bruxella) suæ diocesis territorio, & sepeliri elegit in Monte sancti Eligij, eo quod beatus Eligius, cui familiari vsu dilectionis inhererat, ibi habitationis suæ fecerat diuersorium. Est autem dictus mons abbatia, sesquihoræ spatio ab Atrebato, in qua eleuatus est per Fulbertum decimū quintum in episcopio successorem. Archidiaconum autem eius, vt ferunt, Honoratum, iuxta quiescentem, intactum reliquit. Quare eo omisso, in Martyrologio Eligiano legitur Nonis Iulij. *Eodem die translatio sanctissimi patris nostri Vindiciani.*

à. Cre-

a Credibile est eundem locum designari. Nam Variè scribitur nomen huius loci, quondam pagi, qui adhuc hodie vocatur Oudtbrussel, habens ecclesiam parochialem sub inuocatione sancti Egidij, proximam portæ oppidi in eo pago quondam edificati; cui nomen die Stadt van Brussel. quæ est vera eius orthographia. Nomen portæ est die Oudt-Brusselsche port.

Die duodecima Martij.

Dionysij Carthusiani memoria.

Ex Theodorico Strateni.

IN festo die sancti Gregorij pontificis, anno millesimo quadiagesimo septuagesimo primo, obiit Dionysius de Leew, natus in Richel, vico Hasbania, qui eruditione, sanctitate, & reuelationibus claruit in Carthusia Ruremundensi. Cuius vitam scripsit Theodicus Loer à Colonia 1586 ad Ioannem Houghton, martyrem Londinensem. 1532.

Die decima sexta Martij.

1^o. De sancta Eusebia, virg. Hamaticensi.

Ex libris de Vita Rictrudis, & prolium. Qui sunt Marcianis.

MArcianis, depositio sanctæ EUSEBIÆ virginis. Quæ secundum nominis sui interpretationem, bona Dei cultrix, præpotentes habuit parentes, nobilitate & sanctitate claros, Adalaldum & Rictrudem: eamque ex sacro fonte suscepit Nanthildis Dagoberti regis vxor: quæ etiam regali munificentia contulit villam Verniacum, & vinum quod ad vsus Marcianensium inde adducitur. Qua de causa anniuersarium

G Dagoberti

Dagoberti solenniter Marcianis est annotatum, die vigesimo Ianuarij. Floruit autem sacra virgo in duobus monasterijs ad Scrapam sitis, in Marcianensi, cum matre sua Rictrude, & in Hamaticensi, vbi eam in tenera aetate, utpote duodennē, in loci, regimine proauia suae sanctae Gertrudi successisse scribit Hucbaldus. Cūque angelicam duceret vitam in terris, in medijs, adolescentiae annis rapta est ad thalamum caelestis sponsi. Sepulta est autem ibidem, in sancti Petri ecclesia, à beato praesule Amato, quem eo in loco sanctus Maurontus, beatæ Eusebiae frater, exfulantem fouit. Porro Atta, primus abbas ad sanctum Vedastum, cum alijs ecclesiasticis personis, corpus sanctae Eusebiae miraculis gloriosum, itemque Gertrudis primae abbatissae, eleuauit, quinto Calendas Nouembris, praemisso triduo ieiunio: & paulò post decimo quarto Calendas Decembris, transtulit in nouam ecclesiam, quam consecrabat Vindicianus episcopus in honorem Deiparae virginis. Quando autem, & à quibus sacrum corpus Marcianas sit delatum, ipsi Marcianenses in Chronicis suis fatentur se nescire. Sed ibidem scriptum inuenio, cœnobitas depauperatos, praedicatores quosdam cum corpore sanctae Eusebiae misisse in Angliam, eo quod regnum illud ditissimos haberet incolas, & erga Sanctos indigentes maximè liberales. Sed beata Eusebia nec miraculis ibi clarere voluit, nec eleemosynis ditari. Vnde, Anglis nihil offerentibus, pauperiores & confusi redierunt, & simul didicerunt necessaria ipsis deesse non posse, nisi prius cœnobitalis disciplinae rigorem desererent. Natalis celebratur decima sexta Martij: eleuatio facta in die sanctorum

sanctorum Simonis & Iudæ, pridie recelitur. Hamaticum autem monasterium, quod quondam fuit sanctimonialium, postmodum Canonicorum, vt ex Chronicis Cameracensium constat, nunc est Prioratus cœnobij Marcianensis. Claruit etiam memoria sanctæ Eusebiæ Asconij in possessione sanctæ, vbi corpus eius Amandus Abbas in nouam capsam transtulit: item Verniaci in pago Sueffionensi, vnde singulis annis ex Dagoberti donatione vinum adfertur. Est quoque in pago Beluacensi villa, quæ ex nomine eius corrupto sanctæ Isoiæ nominatur, quæ quondam exstitit Marcianensium, nunc verò est Canonicorum Beluacensis episcopij. Ibi celeberrimè colitur in die translationis, hoc est decimo quarto Calendas Decembris, nam diuina misericordia per eius merita plurima ibidem est operata.

2^o. *Memoria venerab. Sacramenti*

Amstelredami.

Ex officio impresso cleri Amstelrodamen.

AMstelredami, in loco sacro memoria SACRAMENTI sacrosancti, quod insigni miraculo claruit anno supra millesimum trecentesimo quadragesimo quinto, die decima sexta Martij. Ab ægro enim cum phlegmatibus eiectum, & in ignem missum, nec candorem amisit, nec vllam læsionem à flammis accepit. Deinde cistæ impositum, ibi etiam stupendis miraculis claruit. Vnde aduocatus Sacerdos, sacrosanctum Corpus ad parochiam diui Nicolai detulit. Erat autem hostia resurgentis Domini imagine consignata, pedem alterum supra sepulcrum, alterum

alterum introrsum defigentis. Domus autem in qua primum miraculum contingit est deiecta, & in sacellum sacri loci commutata. In foco autem & cineribus qui ex igne supererant, attractu Corporis Domini sanctificatis, magnificentum erectum est tabernaculum, in quod dicta sacra hostia ex ex parochia delata, annis plurimis in summa fuit veneratione. Ipsi autem cineres sacri, licet ad varia genera morborum profligenda subinde auferantur, vix tamen immixti, suauè adhuc olentes cernuntur. Cæterum anno quadringentesimo quinquagesimo secundo, cum magna oppidi portione conflagrauit etiam sacri loci sacellum, sed liquefactis circumquaque metallis, hostia glorioso prodigio est conseruata, cum arcula, qua continebatur, & syndone byssina, qua contra pulueres decedentes muniebatur. Quo miraculo excitati ciues, sacellum aliud splendidius erexerunt, magnifice dotarunt, & mirificè exornarunt. Unde Dominus, qui honorantes se honorat, locum illum sacrum, & Venerabile Sacramentum multis miraculis illustrauit. Diuersi enim qui ad hunc locum vota vouerunt, liberati sunt à dæmonum impetitionibus, à naufragij extremis periculis, à vinculis in Barbaria, Hispania, & Gallia, à dolore partus, ab exulcerationum purulentis, & ab aliis miserijs. Paruulis quibusdam absque baptismo mortuis, vita est reddita, vt sacramenti regenerationis participes saluarentur. Amissæ res sunt recuperatæ. Furti suspitione sese maculantibus pax est reddita, dum huc precaturi properarent, & res palam appareret. Festum celebratur à clero & populo vsque ad prandium, cum solenni processione, feria plerunque

Exstat egregium sanctis miraculum in speculo eximiorum dist. 10 ex. 4.

runque quarta proxima festo diui Gregorij: rarissime enim transfertur. Et omnis clerus dictæ urbis habet ex indulto Ultraiectensium episcoporum proprium per totam octauam officium, excusum Amstelredami, vnde superiora carptim annotauimus.

Die decima septima Martij.

De sancta Gertrude, filia Pipini, fundatrice Niuellensis Ecclesiæ.

Ex historia Niuellensis ecclesiæ, Colonia impressa, anno 1513. Cui diuersas subieci obseruationes.

Niuellæ, transitus sanctæ G E R T R U D I S virginis, filiæ Pipini Ducis, cuius præclara gesta habentur. Hęc virgo clarissimis, & per totam Europam pervulgatis, orta natalibus, ab ipsis pueritiæ annis viam mandatorum Dei ingressa, omnem lubricæ ætatis leuitatem fugiebat, & assiduè matri Ittæ adhærens, ab ore eius trahebat verba vitæ & disciplinæ. Ancillis suis se ancillam præstabat, nec vsquam natalium suorum sublimitatem attendebat. Dum autem altiori proposito virginæ pudicitie sigillum consecrare vult auctori castitatis, Domino Iesu, superuenit ad ædes paternas rex Dagobertus, in cuius comitatu erat Ducis cuiusdam Austrasiorum filius, qui eam in matrimonium postulauit. Sed virgo Regi, parentibus & reliquis principibus, respondit: *Ego mihi sponsum delegi, cuius æterna pulchritudine omnis creaturarum pulchritudo resplendet: in cuius diuinitis calum & terra, & omnis ornatus numeratur:*

Martij 17.

NATALES

cuius nobilitatem Angelica sublimitas cum eximio ve-
neratur. Confusus procius destitit, qui tamen postea
contra eam bellū resumpsit, apud Pipinū eam de
puerili proposito arguens. Quare, piæ matris au-
xilium, in Orientalem Franciam fugit, ad locum
qui de nomine Karoli, *Karle-burg* nuncupatur.
Vbi ob votum tutandæ castitatis insignem basili-
cam ædificauit: atque fugæ eius comites Atalon-
gus presbyter, cui postea sancti Kiliani & socio-
rum corpora sunt reuelata, & Bernardus diaco-
conus diuina mysteria celebrarunt. Remeauit au-
tem ad propria, postquam indignus ille petitor
thalami, iudicio Dei percussus, interijt: nec mul-
to post obiit pater, foris reuerenda canicie candi-
dus, intus bonorum operum splendore perorna-
tus. Tum verò matri sedula & officiosa adhære-
bat, cum eâ terebat limina ecclesiæ: vacabat ieiun-
ijs, orationibus, sanctorumque necessitatibus.
Iis diebus superuēnit Amandus episcopus, à quo
matrona castæ professionis velamen accepit, &
domum in sanctimonialium monasterium, eius-
dem antistitis consecratione, commutauit. Ob
quod factum, multas calumnias & iniurias cum
dilecta filia sustinuit. Mater autem, his non mo-
ta, etiam filiæ, nondum consecratæ, arrepta for-
fice, capillos abscidit. Quæ aliquanto post, inter
virgines suscepto velamine consecrata, vnanimi
consensu cœnobij ad regimen est expetita. Iu-
uencula quidem, sed in doctrina discreta; in pa-
tientia longanimis; in abstinentia foris; mun-
dissima, charitate: mansuetissima, pietate: infir-
mitati proxima, per compassionem: virtutibus
congaudens, per charitatem. In eleëmofynis &
hospitalitate maternæ traditioni fuit coopera-
trix,

De Karle-
burg latt-
bulo 8. Ger-
trudis plu-
ra habet E-
gilwardus,
vita Bur-
chardi libro
2. c. 3. & 4.
ad diem 4.
Octobris.

erix, omnia prædia amplissimi patrimonij eccle-
 siæ conferens, in vsum sanctimonialium, pau-
 perum, ac peregrinorum Foillanum, Vltanum,
 aliosque transmarinos viros, lucra animarum
 quærentes, lætissimè suscepit: quosdam apud se
 retinuit. Sed & preciosos codices, & de vrbe
 Roma pignora sanctorum acquisiuit. Inter hæc
 Dominicæ seruitutis augmenta beata Itta ad Do-
 minum migravit. Porro sancta Gertrudis onus,
 quod ei iam soli incumberebat, in plures diuisit,
 exemplo Moyse, qui Decanos & Centuriones as- *Exodi 18.*
 sumpsit: foris enim agenda fratribus in timore
 Dei perfectis commisit, intus matres sibi ad-
 iunxit spirituales. Cùm autem in meditatione
 Scripturarum, & ascensu virtutum proficeret,
 diuina pietas ancillam suam iucundæ lucis vi-
 sione est consolata. Eodem etiam tempore lega-
 ros suos in mari periclitantes, licet absens cor-
 pore, præsentissima ereptione liberauit. Nec
 multo post beati Foillani martyris corpus, indi-
 cio supernæ reuelationis, inuenit. Cæterum ex-
 tenuata abstinentia, vigilijs, alijsque cælestibus
 disciplinis, omne onus suum cognatæ Wolfetru-
 di, etsi nolenti, imposuit: & ipsa reliquum trium
 mensium tempus in omni sanctitatis augmento
 expendit, tanto instantius, quanto se breuius hic
 futuram ex diuina reuelatione didicerat. Post
 obitum pompam sibi adhiberi noluit, sed corpus
 tegi cilicio, quo vti consueuerat, & caput velo
 penè nullius pretij, quod peregrina sanctimo-
 nialis illi pro benedictione miserat. His ordina-
 tis, vt certum diem suæ vocationis agnosceret,
 misit ad beatum Vltanum, quem cælestis con-
 uersatio iamdudum angelicis alloquijs dignum
 fecerat.

fecerat. Qui respondit: Crastino die intra Missarum solennia corpore abscedet: sed non trepidet, in exitu suo Patricium cum sanctis Angelis obuium habebit. Illo itaque die, anno ætatis trigesimo tertio, sumto sacratissimo Corporis & Sanguinis Christi viatico, animam suam creatori reddidit, & mox suauissimus odor repleuit totam cellulam, vbi sacrum corpus iacebat. Cuius testes sunt Richinus & confrater eius, qui primus, suppresso nomine, vitam virginis, quam oculis suis viderat, simplici & rustico stylo sed veraci sermone conscripsit. Sepulta est autem in basilica principis Apostolorum, & post mortem apparuit Modesta, Treuirensis monasterij abbatissæ. Multa etiam miracula ad reliquias eius, & ad lectulum contigerunt. Quibus commota, germana soror Begga, post obitum viri sui, simile monasterium Andenæ construxit, ad quod ex Niulla sorores euocauit. Inde etiam inter reliquias partem lecti accepit, ad quam multa miseris beneficia obtigerunt. Hactenus ex historia qua Niuellensis ecclesia ytitur, quæ etiam ferè omnia habet Surius, ad diem decimum septimum Martij. Nomen autem huius virginis non inter Brabantos tantum, sed etiam apud exteros est celebre. Nata est Landæ, vbi celebre quondam erat Pipini, primi Ducis Brabantia, palatium, sed nunc exiguum est oppidulum, nullam habens intra muros ecclesiam parochialem. Domina fuisse asseritur Bergis ad Zomam, Bergis sanctæ Gertrudis, Niuellæ, & Vorsti, siue Foresti, in Kempinia. Obijt anno sexcentesimo sexagesimo quarto, in die beati Patricij, Hybernorum Apostoli, qui, vt dictum est, in morte ei obuiam venit. Quo declarauit quantum

*Berga hic
latine est
portus, non
mons à
Teutonico
verbo Be-
ghen.*

sibi

sibi placuerit, quod Foillianum, Vltanum, alios-
 que Apostolicos ex Hybernia prædicatores rece-
 perit, & fouerit. Multas passim habet ecclesias in
 sui honorem consecratas. Louanium, prima Du-
 catu Brabantia, & totius Belgij ciuitas, eam vt
 primam Brabantia plantam festo die honorat, ex
 constitutione Honorij tertij. Ipsam etiam Vsuar-
 dus Martyrologio inseruit, ætate Caroli magni.

quod est ab-
 /condere, eo
 quod in
 portu naues
 quasi ab-
 /conduntur.
 Nullus e-
 nim ibi
 mons corn-
 parat.

Setibit enim die decimo septimo Martij; *Monaste-
 rio Niuigella, sanctæ Gertrudis virginis.* Est autem Ni-
 uigella antiquioribus dicta, hodie Niuella, Galli-
 canum oppidum Brabantia. diocesis Namurcen-
 sis, sub dominio abbatissæ Niuellensis; vbit beata
 Gertrudis regularibus præfuit virginibus. Sed
 modò est Capitulum vtriusque sexus, in quo Ca-
 nonicæ, eaque nobiles, & seculares, digniorem
 obtinent locum. Quæ etiam patronæ suæ memo-
 riam annuè aliquoties repetunt. Secunda enim
 die Decembris recolitur consecratio sanctæ Ger-
 trudis virginis. Quarto Idus Februarij, eleuatio
 corporis. Tertio Calendas Iunij notatur Transla-
 tio in nouum feretrum, anno millesimo, ducen-
 tesimo nonagesimo octauo.

Quod si quæras quo loco habendæ sint Canonicæ,
 quas Teutonia frequentes habet, & vulgati voce Ca-
 nonissas nominat, tractat eâ de re Claudius Espencæus
 libro secundo de continentia, cap. 12. Quò etiam perti-
 nent quæ à me notata sunt in lib. primo de Canonicis,
 cap. 15.

An. 1046.

Cæterum Sigebertus Gemblacensis, testatur suo tem-
 pore conflagrasse ecclesiam sanctæ Gertrudis Niuellensem,
 post negligentiam & incuriam effusi sanguinis, quæ re-
 edificata, benedicta est à Vuazone præsentè Henrico im-
 peratore.

An. 1046.

G 5

Decima

Decima nona Martij.

1^o. De sancto Landoaldo archipresbytero,
& eius collegis, ac præcipuè de S. A-
mantiio diacono, S. Adriano
nuntio & martyre.

Ex Nodgero episcopo, & officio ecclesiastico Gandauensi.

IN Winters-houen, depositio sancti LANDO-
ALDI, confessoris & archipresbyteri. Hic
beatum Lambertum episcopum in pueritia nutri-
uit, & sacris literis erudiuit. Item natale sancto-
rum sociorum eius, AMANTIÏ diaconi, A-
DRIANI internuncij, & reliquorum, qui cum
eo honorificè quiescunt Gandau, in ecclesia san-
cti Baonis.

Ex his, sanctus Landoaldus apud Martinum,
primum eo nomine pontificem, propter erudi-
tionem suam & fidei integritatem, magno in ho-
nore fuit, ab eo Romanæ ecclesiæ archipresbyter
ordinatus. Cumque Amandus episcopus, secun-
dò Romam veniens, Martino pontifici declara-
ret, se non sufficere ad regendum Traiectensem
ecclesiam, & ad conuertendum copiosam infide-
lium messem, adiunxit illi sanctum Landoaldum,
quem maximè diligebat. Itaque cum Amando
proficiscitur, assumtis alijs decem inter quos A-
mantius diaconus, Vinciana virgo, soror eius, &
Adehrudis virgo. Dum autem Amandus operam
dat gentilibus conuertendis, Landoaldus totos
nouem annos summa cum laude vices eius gessit,
in administratione episcopatus Tungrensis. Ta-
lisque ac tantus fuit, vt vni illi tanquam optimo
præceptoris

præceptor, nobilis atque admirabilis puer beatus Lambertus, cui Deus geminam episcopatus & martyrij palmam parabat, instituendus tradetur. Quam ob causam pater sancti Lamberti pagum *Winters-houen* beato Landoaldo perpetua hereditate possidendum, dono dedit; vbi cum discipulo suo habitauit, & in honorem principis Apostolorum ecclesiam exstruxit. Multis, in viuis existens, miraculis clarus fuit. Inter quæ illud est memorabile, quod puer sanctus Lambertus, suo & præceptoris merito, viuas prunas illaeso sinu portauit. Rursus & alterum, quod ad vtriasque preces, in ecclesiæ constructione, fons lymphidissimus scaturierit, qui vsque hodie fidem dictis præbet. Mortuus, in *Winters-houen* Christianorum more sepelitur, quo eodem in loco, & socij peregrinationis eius, omnes iuxta illum sepulti sunt, solus beatus Amantius; diaconus eius, & sacro fonte filius, vno eodemque in sepulcro cum eo collocatur. Corpora è terra eleuauit Calendis Decembris Florbertus, secundus à beato Lamberto, Leodiensium antistes, excitatus multitudine miraculorum, quæ ibi fiebant, & diuina commotione. Hæc autem postea ob Nordmannicam deuastationem sub terra recondita, miraculis emergentibus, iterum mundis oculis inclusa sunt, consentiente Heraclio, proximo prædecessore Nordgeri episcopi, qui sancti Landoaldi vitam & translationem libris duobus descripsit. Postmodum Gandense sancti Bauonis monasterium, ex *Winters-houen*, sui iuris pago, anno nongentesimo octuagesimo, sanctorum pignora ad se recepit, sub womaro abbate. Quæ Lindulphus, episcopus Tornacensis de miraculis certior factus, è vi-

*Nodgerus
ad hunc diē
apud Su-
rium.*

*Sigbert.
Meyerus.*

lioribus

lioribus & antiquis vasculis transtulit in noua
scrinia, auro argentoque fulgentia, anno nongen-
tesimo octuagesimo secundo. Vnde legitur, Idi-
bus Iunij, Gandau, eleuatio sancti Landoaldi,
sociorumque eius. Et Calendis Decembris, trans-
latio beati Landoaldi confessoris. Hæc autem
beati Landoaldi & sociorum translatio facta est à
Florberto episcopo Leodiensi.

Quia autem Romanæ ecclesiæ archipresbyter fuit, hinc,
vt Hieronymus presbyter, Cardinalis ex vulgari iudicio
pingitur.

2^o. De sancto Amantio diacono.

Ex Nodgero.

INter comites autem beati Landoaldi, primus
recensetur diaconus eius, nomine & merito
AMANTIVS, in eadem cum ipso theca sepul-
tus, quia eius, vt fama fert, in baptismo filius
exstiterat.

3^o. De S. martyre Adriano internuncio.

Ex Nodgero, & pictura Gandauensi.

*In historia
sancti Lan-
doaldi.*

Celebratur etiam ADRIANVS internun-
cius sancti Landoaldi. Qui pingitur cum
baculo rurali, & literis in manibus, tanquam nun-
cius, & inter martyres Christi honoratur. Scribit
enim Nodgerus episcopus, Chilpericum regem,
qui sedem habebat Traiecti, sumtus necessarios
misisse quotidie sancto Landoaldo; sed quadam
vice beatum Adrianum eiusdem beati viri inter-
nuncium, nimia auri & argenti pondera depor-
tare creditum, à latronibus esse interceptum, &
in mediæ viæ loco villari martyrium indeptum.

4^o. De

4°. *De sancto Iuliano.**Ex Nodgero.*

SANCTUS quoque IULIANVS, à Nodgero episcopo Leodiensi numeratur inter Sanctos, qui in Winter-houio, cum beato Landoaldo archipresbytero quieuerunt, & inde Ganduum sunt auecti. Scribitque eum, & simul Landradam virginem, ac beatum Adrianum martyrem, iussu diuinæ visionis eleuatos esse per Sarbertum presbyterum, ex luto & cisternis, quibus ob Nordmannicam vastationem fuerant inclusi. Reperta sunt etiam in cisternis nomina eorum, expromta in breuiculis. In hac autem translatione, quæ facta est tertio Nonas Martij, Sigeburgis hydropica matrona sospitatem recepit.

5°. *De sancta Adeltrude.**Ex Nodgero & Theodorico.*

SUPRA-dictos comitatæ sunt sanctæ fœminæ Vinciana, & ADELTRVDIS. Quarum thecæ pariter ex locis vbi ante Nordmannicam infestationem erant depositæ, sunt eleuatæ. Nec plura de beata Adeltrude apud Nodgerum præfulem lego. Quidam asserunt hanc esse filiam sancti Bauonis, quam Theodoricus abbas asserit ad summæ perfectionis fastigia eleuatam. Vinciana autem peculiarem natalem habet die vndecima Septembris.

*Vita sancti
Bauonis
cap. 1. Ca-
lendis
Octobris.*

Vigesima Martij.

De sancto Vulframno, episcopo Senonensi.

Ex Iona.

Fontanella, natalis sancti VULFRAMNI confessoris, Senontum archiepiscopi, qui in Blandinium monasterium est translatus. Hic anno septingentesimo cum licentia regis Childeberti, & Pipini principis, animum conuertit ad prædicandum Frisonum genti, sicut ei diuinitus fuerat reuelatum. Quod opus per annos quinque infatigabiliter peregit; multiq[ue] nobilium & infirmorum, abrenunciata sorde idololatriæ, fidei fonte abluebantur, inter quos Radbodi regis filius, qui adhuc in albis positus, mundus, vt creditur, transiit è mundo.

Princeps verò Radbodus, qui Willebrordum Clementem, episcopum & doctorem suæ gentis accersiri fecerat, vt ad eius & Vulframni consulta efficeretur Christianus, cum ad sacrum fontem venisset, interrogauit Vulframnum vbinam maior esset numerus nobilium gentis Frisonum, & cum obtinere non meruit quod fectè quærebat, infeliter pedem retraxit, nolens consortio prædecessorum carere, & cum paruo pauperum numero in caelesti regno residere. Narrauit autem Quo presbyter, diabolum transfigurantem se in angelum lucis, aurea veste ornatum, dixisse, Vulframnum, doctorem Christianorum, non posse demonstrare illi mansionem æternæ claritatis: se verò daturum illi eximie pulchritudinis mansionem. Vnde

incredu-

incredulus princeps omnia tum demum se facturum Vulframno spondit, si ea mansio ei monstraretur. Cùmque Christi sacerdos insuperabilem principis animum cerneret, ne à gentilibus alia fingerentur pro aliis, cum quodam Frisone, Ingomaro, misit suum diaconum. Qui ducem itineris prosequentes donec viam ingrederentur marmoreo opere decoratam viderunt domum auream, & in ea thronum miræ magnitudinis & pulchritudinis, quæ ductor Radbodo post mortem largiri spondit. Diaconus autem stupefactus, dixit; Si à diabolo facta sunt ista dispereant. Et cùm vallaret se crucis munime, dux euanescente, transit in diabolium, & domus versa est insutum, & vterque remansit in locis palustribus, triduoque immensi laboris iter conficientes, reuersi, Radbodum sine baptismatis sacramento mortuum reppererunt. Friso autem Vulframnum ad Fontanellense cœnobium securus est, & plurima gentis multitudo ex hoc stupendo miraculo conuersa est ad Dominum. Celebre verò est miraculum, & per incolas Galliarum & Germanorum diuulgatum, quod cùm Vulframus, cum strenuis verbi cooperantibus, ex Fontanella per Sequanam & Gallicum mare in Frisiam nauigaret, sancto Pontifice positis ancoris Missarum solemniam celebrante, Vuando diaconus, postea Fontanellæ abbas, porrecturus præsulì patenam, dum eam abluere vellet, in mare exciderit, sed Deus propitiis precibus sancti Pontificis eam ab imo maris restituit, nautis & comitibus nauis Deum cunctipotentem laudantibus. Ipsa autem patena, cum calice, Fontanellæ pro munere sacro tenetur. Altare quoque consecratum, in quatuor angulorum

Marrij 20.

N A T A L E S

gulorum locis, & in medio reliquias continens
Sanctorum in modum clypei, quod secum dum
iter ageret, vehere solitus erat. Plurima alia virtu-
tum miracula in itinere, & in eadem gente, fecit:
è quibus vnum supradictis adijciam.

Barbarâ lege quemcunque fors elegerat, is diis
immolandum ad laqueum ducebatur. Sors in pue-
rum Ouonem cecidit, cuius vitam cum ab incre-
dulo duce beatus Vulframnus obtinere non pos-
set, precibus à Deo obtinuit eius, cum duas ferè
horas pependisset, plenam incolumitatem. Ex
quo facto plurima Frisonum multitudo est con-
uersa. Ipseque Ouo, salutaris lauacri vnda perfu-
sus, in Fontanella presbyter, vitam Deo digna
conuersatione terminauit. Et quia erat in arte
scriptoria eruditus, plurimos codices in prædicto
scripsit monasterio, sed & testamenta & largitio-
nes fidelium plurimas, quas ipsi loco felici munere
conferebant. In maiori autem senectute positus
Vulframnus, & pedum dolore frequenter vexatus,
abdicato episcopatu Fontanellam abiit, vbi habi-
tum receperat monachicum, ibique transiens co-
ronam accepit eternam, anno Domini septingen-
tesimo vigesimo. Vitam scripsit contemporaneus
Jonas, quem Surius habet tomo secundo historia-
rum. Est autem cum beato Vuandregisilo, quod
aliàs explicabitur, translatus Blandinium.

*Ad diem
21. Iulij.*

*a Odorannus monachus S. Petri vni Senonensis in
chronico apud Pichoeum, dicit eum in Frisia predicare cœ-
pisse anno 688.*

Die

Die vigesima-quinta Martij.

1^o. *De sancto Humberto Maricolensi.**Ex historia ecclesiastica Maricolensis monasterij.*

A pud Nazareth ciuitatem Galilææ, annun-
ciatio Dominica. Item ipso die depositio
sanctissimi HUMBERTI, episcopi & confesso-
ris Christi, virtutibus & miraculis gloriosi. Hic
Macerijs, temporibus Hilderici regis ortus est ex
parentibus Christianissimis & ditissimis, beato vi-
delicet Eurardo & Popita, qui puerum in eccle-
siastica disciplina Lauduni educauerunt, vbi per
singulos gradus ad sacerdotij culmen est proue-
ctus, & monasticam vitam amplexus. Dum au-
tem fratrum permissione digressus est ad posses-
siones à progenitoribus relictas, vt de eis dispone-
ret, Amandus & Nicasius eum peregrinationis
Romanæ comitem postularunt. In qua itinera-
tione fertur sancti Humberti merito, vrsus euilce-
rati à se equi, in subuehendis sarcinis præbuisse of-
ficium. In secunda autem profectioe Apostolice
Sedi obtulit pro pauperibus sua patrimonia, quæ
progenitores in Gallia habuerant: sed vir Apo-
stolicus consultius iudicauit ea in Gallia relin-
quenda esse. Quare ad iuris sui loca reuersus, Ma-
ricolis secus Sambram, oratorium construxit, &
viros sub habitu monasticæ conuersationis con-
stituit. Extruxit haud procul & aliud cœnobium,
in quo clericos triginta constituit. Cùm autem
vir sanctus, abiecto pallio suo, in sylua ad usum
fratrum laboraret, & venatores senatoris cuius-
dam ceruum insequerentur, is ad viri Dei
H pallium

pallium confugit, vbi nec canibus fas fuit feram attingere, nec venatoribus eam confodere, quam meritis Humberti donatam agnoscebant. Vnde senator villam iuris sui Liniaco, quæ sita est in pago Templutensi, in vsum fratrum delegauit, inscriptione priuilegij signatam, & testamento roboratam. Accidit verò beatam Aldegundem, æstuante canicula, Maricolas aduentare, vt cœnobij ædificia circumspiceret, cumque illa se siti re diceret, respondit vir sanctus locum arentem nondum puteos habere, sed rudes incolas aquam humeris à flumine adferre. Illa porrò progrediens, dixit se siti euictam deficere. Vnde precibus beati Humberti indeficientis fontis vena profiliit. Quod donum præstitum, vt ille virgini, sic illa contrà ipsi, ascripsit. Accepit etiam ab ea virgine lintea, virgineis manibus texta, quibus corpusculum suum inhumandum inuolui voluit. In ipsa autem translatione corporis è tumulo, quam tempore Caroli magni Rodingus abbas fecit, omnia inuenta sunt incorrupta, sacrum corpus, linteamina, sed & herbę appositę, anno post depositionem centesimo quinquagesimo tertio.

Passa est autem abbatia Marellia, seu Maricola, seculari potestati mancipata, pietatis & facultatis imminutionem, vsque ad tempora Fulberti episcopi, qui Othone imperatore consentiente, de manibus comitis Isaac eam recepit. Verum res perfecta non est vsque ad tempora Gerardi episcopi, qui amotis clericis ordinem monachorum restituit, & res ecclesię, violentis inuasionibus, & clericorum malis conuentionibus alienatas recuperauit. In pagum quoque Flandrensem deuexit corpus sancti Humberti, ad Balduinum Mar-

num Marchionem, ut is motus presentia confessoris, redderet villam Semerias, quæ illi à milite obuenerat. Quod pro voto successit. In eadem autem profectioe, in vico quem antiquitas Brugas nominat, mulier profluvio desperato laborans, est sanata. Cæterum cum clerici ob insolentiam amoti, monachos inquietarent, cogitabat Gerardus corpus transferre ad ecclesiam à se in honorem diui Andreæ constructam in loco munitissimo, mutata tamen sententia Maricolensibus reliquit, vicinæ regionis primores sacramento coustringens, nè quid contra præ fatum locum fieri paterentur. De translatione legitur sexta die Septembris. Eodem die, translatio corporis beatissimi confessoris Christi Humberti, virtutibus & miraculis clari.

Locus in quo fuerit episcopus, non exprimitur: ex quo colligitur, eum, ut alios nonnullos, cum titulum siue diocesim non haberet, consecratum tamen esse episcopum ad fidei inter gentes prædicationem. Nisi dicamus, quia in historia nulla est episcopatus mentio, eum ut episcopum coli, propter Apostolorum suum, quia Maricolis, & circum vicinis ad Helpram habitantibus, Christum annunciauit. Qua ratione alij quidam inter episcopos honorantur. Nobis constat eum ut episcopum, etiam in Cameracensi ecclesia honorari, nouem lectionibus, sed mense Septembris, eo quod natalis incommodè in finem Martij incidat. Inuentum est etiam Antuerpiæ ad Præmonstratenses elegium, in quo legitur,

Inclite qui meritis fulges Humbertè coruscis.
Cuius ad exemplum vitæ ac moderamina, quondam
Barbara doctrinam nacta est Antuerpia Christi,
Te duce cœnobium felix radiat Maricollis.
Respice prostratos præsul mitissime seruos,
Horrida vipereis rabies quos morsibus vrget.
Tranquilla da pace frui, da corde sereno
Ritè procellosos fluctus componere nostros.
Effera quæso procul rabies abigatur in æuum,

Martij 25.

NATALES

Fae pietate fides crescat, spes ambiat alta.
Instet amor studijs, luxus declinet inanis.

2^o. De sancto ^a Godehardo episcopo Hildeshemensi, opinio Arnekensum

Ex vita, & ex informatione Domini Godefridi Laurentis, Decani Casletensis.

IN Saxonibus, vrbe Hildeshemensi, natalis sancti Godehardi, episcopi & confessoris. Cuius vitam sanctissimam scripsit vnus è familiaribus Canonicus monasterij Hildeshemensis.

In Caralogo quodam Sanctorum Flandriae notatum inuenio eum fuisse pastorem in Arneka, pago Casletensi, obiisse episcopum in festo Ascensionis Domini, die quinta Maij. Qua de re cum plura ex Arneka peterem, accepi à Decano Casletensi, se ex pastore, qui iuuenis & nouitius erat, nihil reseire potuisse: sed varios eius pagi seniores protestatos esse S. Godehardum inibi fuisse pastorem: seque à maioribus accepisse existisse etiam desuper scripturae testimonia, sed quae in nupera ecclesiae conflagratione perierunt.

Quae tamen traditio mihi suspecta est. Nam in Catalogo episcoporum Hildeshemensium vocatur Comes de Scheyren Bavarus, cognatus sancti Henrici Imperatoris, ex abbate Altachensi & Hirsfeldensi, episcopus Hildesheimensis.

a Verè ad diem 4. Maij pertinet.

3^o. Annotatio de S. Hermelando abbate.

Ex vita ipsius.

IN Antro insula, sancti Hermelandi abbatis. Fuit abbas primus Antrensis, in minori Britannia, & yaldè

valdè laudatur à cœnobita sui instituti, qui vitam descripsit. Ex qua videri posset ad Belgij sanctos referendus, *Tomo 2. quòd in ea scribatur, Hermelandus apud Nouiomagen-Sursj. ses, nobilissimis parentibus ortus est. Qui ab Germania oris ad nos accedens, tanquam alter quidam Benedictus, fulsit virtutibus.* Verum Nouiomagenes Geldri eum ignorant; mihiq̃ue verisimilius est fuisse Gallum Nouiomagensem, siue Nouiomensem: (Nam & hi in Germaniæ oris dici possunt,) cùm constet multas Germanicas in Flandria ciuitates, vsque ad Bernardi tempora *In vita An Nouiomensis episcopo subfuisse, eumque nonnullos tum docti, cap. veteres, tum alios verustatis amantes, Nouiomagensem 14, & alibi.* appellare.

Vigesima sexta Martij.

De S Ludgero Frisio, episc. Monasteriensi.

Ex libro primo vita scripta per monachos Vuerdenenses.

IN Vuerdena, depositio sancti LVDGERI, episcopi & confessoris; qui fuit episcopus primus Monasteriensis, tempore Caroli magni Imperatoris.

Oriundus fuit ex Frisia, ex auo Vurifingo Adone, qui à Radbodo rege ob iustitiæ defensionem à patria effugatus & in Franciam pulsus est, sed cùm Carolo regnante Frisia Fræcorum accessisset imperio, ab ipso ad patriam causâ fidei roborandæ remissus est. Matrem eius Liaburgam, quia ex paterno genere gentilis, dolens filio tantum filias nasci, furore fœmineo succensa, eadem qua nata fuerat horâ, à mancipio situlæ aqua plenæ immergi mandauit. Sed mirando spectaculo paruula ætas utrâque manu marginem situlæ apprehendens, perfectæ ætati reluctabatur.

H 3.

Itaque

Itaque vicina mulier superuenit, quæ infantulam eripuit, & ori eius de melle aliquantulum immisit. Quia autem iuxta superstitionem gentilium, semel aliquid gustantes illicitum erat necari infantem, in domo huius mulieris occultè educata est, & post auæ mortem matri restituta. Iuncta autem marito Thiadgrino Ludgerum in utero gestans, casu corruit, & palus super quem ceciderat, latus penetrauit: sed Dei pietas & puerperam & puerperium à mortis faucibus liberauit, & qualis forei nascitura proles præmonstrauit. Sensim autem puernulus sensum canum, & cor senile assumpsit, & à parentibus obnixè postulauit erudito in Scripturis viro commendari. Qui eum quantocyus Gregorio commendarunt, qui Traiectinæ sedi in gradu presbyter præsidebat, successor martyris Bonifacij. Vbi tonsura accepta totum se in Traiectensi monasterio ad Dei seruitium conuertit. Mira illi circa conscholasticos charitas: mira circa ecclesiasticum officium deuotio erat. In Angliam pro Diaconij gradu directus incidit Eboraci in scholam Alcuini viri omni scientia celeberrimi: apud quem quatuor annos & sex menses mansit, totum cum eo nouum & vetus testamentum perlegens: tantò deinceps gratior patri Gregorio, quantò erat & literarum scientia instructior, & librorum copia plenior, & monachorum regulis eruditior. Defuncto autem Gregorio, Albicus successit, qui Ludgerum in *Dauentre* suæ parochiæ locum prædicationis causa & fidei corroborandæ gratia pergere suauit. Quò promptissimè vadens, ecclesiam olim à Liafwino àdificatam, sed à Saxonibus incensam, reàdificauit, & in ea, sancti viri corpus, à se inuentum, condi-

condigno honore collocavit. Eo successu Albricus animatus virum Dei in Frisiam ad fana & idola destruenda destinavit. Quod sine aliqua contradictione perfecit per eum qui flagellū fecit de funiculis, & solus omnes eiecit de templo. Ioan. 2.

Albrico autem pontificatus ordinem suscipiente, ipse presbyterij gradum percepit. Et quia Frisones adhuc in fide rudes erant, tam propter fidei puritatem & mentis constantiam, quam propter suos parentes, qui apud eos potentissimi habebantur, doctor Ecclesiæ constitutus est in pago *Ostrache*, in loco quo sanctus Bonifacius martyrio est coronatus: vbi hiemali, verno & æstivo tempore in doctrinæ custodia occupabatur. In autumno verò specialiter sedi Traiectensi suiantistitis iussu præsidebat. Cùm autem Vuitichindus paganus Saxonum dux Frisiæ ecclesias accenderet, Dei famulos expelleret, & cuncta cædibus, incendijs, & rapinis impleret, & Ludgerus neque martyrium, quod optabat, mereretur, neque vllum suæ prædicationi locum dari videret, ceddendum tempori ratus, cum fratre suo Hildegri-mo & antistite Albrico Romam abiit: vbi cùm in paterna hæreditate monasterium construere cogitaret, Leo pontifex, datis dignis reliquijs auctoritatem indulxit. Rediens per Beneventum, regularem vitam nosse & observare volens, & quia pater monasterij genere sibi propinquus erat, duobus inibi annis & sex mensibus mansit. Sub idem tempus Alcuinus de terra Anglorum in Franciam venit. Qui inter familiaria cum rege Carolo colloquia antiquum amicum ex Beneventano sancti Benedicti monasterio, ad Reipublicæ utilitatem euocari suavit. Sed semel prægu-

stata monasticæ conuersationis dulcedo, aliud eum desiderare non permittebat. Quod intelligens Imperator, literis eum magistri sui Alcuini euocauit. Et primò ei in *Bachbani* monasterium, quod *Lotusa* dicitur, concessit: deinde quinque in Frisia pagis, qui Francorum sponte ditoni accesserant, Christianitatis docendæ gratia præfecit, addita insuper insula quæ *Bant* appellatur Quos populos cum Deo genuisset, in *Fostilandiam* profectus est, vbi tantam ei gratiam Deus tribuit, vt inter primos princeps crederet, & filium *Landricum* de fonte leuandum offerret. Cogitauit etiam adire Nordmannos, verùm præuidit quanta mala ab illo populo Christianis irroganda essent, quæ tamen Deus in ipsius diebus noluit euenire. Cùm autem *Carolus* victoriosissimus Imperator Saxones partim beneficijs, partim districtione ad fidem coëgisset, *Ludgerum* in parte Saxonix Occidentali præfecit ecclesiæ *Mimigernefordensi*, in qua tamen sine ordine episcopali annis ferè duodecim mansit, opus episcopi agens, gradum autem renuens: onus suscipiens, honorem declinans: indignum se episcopatu iudicans, quia ab Apostolo scriptum est:

1. Tim. 4.

Oportet episcopum irreprehensibilem esse. In *Heilig-werde*, Frisix villa, *Berleef* qui antiquorum actus regumque certamina non inurbanè cantabat cæcum illuminauit. Quod ante obitum suum à se factum vetauit publicari. Fuitque hoc initium signorum eius. Et quia in illis diebus famulis Dei expulsis, Frisia à fide secundò defecit, per eum, quia à multis diligebatur, & de eo, utpote laico, nulla huiusmodi suspicio haberi poterat, paruulæ ætati consulere voluit.

Qui

Qui eius iussu libenter obtemperans, per domos, octodecim infantes benedicta simpliciter, aqua cum inuocatione sanctæ Trinitatis baptizauit. Qui omnes in albis defuncti sunt, exceptis duobus, quos sanctus sacerdos sancti chrisimatis inunctione & manuum impositione, pace reddita, firmavit. Erat in Scripturis sacris non mediocriter eruditus, quod in plerisque opusculis quæ fecit, apparet: & inter varias occupationes discipulis quotidie diuinas scripturas semotim tradere consuevit. Quicquid in ipsis morale esse videbatur, auditoribus suis sedulo commendauit: quicquid alios docuit, ipse prius impleuit. Cucullam ideo non portabat, quia regularem nunquam promissionem fecit: sub canonico habitu monachorum perfecte vitam impleuit. Cili- cium, quod veste abscondi poterat, ita usque ad finem vitæ tulit, ut hoc nemo præter familiarissimos suos eum ferre sciret. Conuiuia, utpote episcopus, nonnunquam exhibebat, ad hæc commixtim diuites & pauperes inuitans. Pater- nam hæreditatem, quam satis amplam habuit, ad reliquias tradidit quas ab Apostolico acce- pit: ipsas loco qui Vuerdena appellatur, & fratribus in eo loco Domino seruituris pro pa- trocinio delegauit. Cumque Deus pijs eius stu- dijs perennem mercedem reddere decreuisset, eo tempore quo diæcesin circuiret, pridie quam moreretur, etsi morbo ingrauescente, inastima- bili fidei feruore publice prædicauit primò in *Coesveld*, deinde in contigua ecclesia in *Billarbaki*, ybi etiam deuotè vltima Missarum solennia celebrauit. Quibus expletis, ouibus & cleri- cis valedicens, elegit sepeliri extra ecclesiam

monasterij quod in Vuerdena, ad Ruram fundavit, & quia populum contradicturum sciuit, voluit ad Mimigernafordensem ecclesiam deportari, & inhumatus relinqui, donec à fratre, Hildegrimo Cataulaunensi, accedente Caroli imperio, in memorato loco sepeliretur. Vidit autem Girfridus presbyter, nepos simul & successor cum omnibus qui secum erant, magnam lucem ante eum quasi in sublime conscendere, quam etiam Carolus Imperator cum Alcuino & cæteris qui præsentibus erant vidit, in Aquis palatio. Defunctus est autem anno octingentesimo nono, septimo Calendas Aprilis, & regio mandato depositus, uti viuis elegerat, ad Orientalem partem ecclesie Vuerdenensis, sexto Calendas Maij: & cadauer tanto post mortem tempore sine vlla corruptione mira fragrantia cunctos qui aderant repleuit. Non est ille nobis mortuus, inquiunt Vuerdenenses, qui toties nos & corporaliter & spiritualiter viuificat. Non est absens, quem quotidie tot miracula nobis repræsentant. Non est ociosus, qui singulis nos momentis suorum morum probitate & sanctissimæ vitæ exemplis instruit & informat.

Die vigesima-nona Martij.

De beato Stephano papa nono, Belga.

Ex Sigonio de regno Italia, & chronicis Leodiensium:

Lib. 9.

Florentiæ, obitus beati Stephani, papæ noni. Quem Sigonius scribit plurimis sanctitatis miraculis claruisse. Eiusque vitæ series, quod Belga fuerit, breuiter est hoc in loco proponenda. Pater eius Gothelo & frater Godefridus, quem barbatum dicunt, fuerunt duces Bullo-nenses

nenses in Lotharingia, aut, vt nunc loquimur, in territorio Leodiensi. Ipse autem Stephanus, tunc dictus Fredericus, in clero Leodiensi residebat archidiaconus. Sed à Leone nono assumtus est in bibliothecarium & Cancellarium. Et ad Constantinopolitanam ecclesiam legatus est destinatus, cum illa rursus à Romana deficiens, principatum sibi arroganter vendicasset. Vbi cum ad eum venire dedignarentur patriarcha & imperator, ille Leonis, à quo mittebatur, animi magnitudinem imitatus, vrbe egressus, sandalia sua, more Apostolorum, super eos excussit. Quo facto, cum clero & populo sacco & cinere obuoluti, ad eum perrexerunt, & Apostolicam auctoritatem in eo, ad terram prolapsi, adorarunt. Inde hæresibus damnatis, muneribus, quæ sancto Petro offerret, ab Imperatore donatus, in Italiam redijt. Vbi à Transmundo, Comite Teatino, per libidinem auaritiæq; dispoliatus est. Inde in odium Henrici, propter Godefridum fratrem, qui Beatricem Ducem Tusciæ in vxorem acceperat, cum se incidisse videret, insidias fugiens, Cassini monachum induit. Vbi paulò post in abbatē est assumtus, & à Victore Leonis successore in Cardinalem allectus: eoq; mortuo, cum è Tuscia Romam venisset, ex hospitio per vim in basilicam diui Petri ad vincula tractus, in die Stephani pontificis, Stephanus nonus est appellatus. Mox, contra Henricum regem, & Mediolanensem clerum, ad reformationem se conuertit, quoad collationem ecclesiarum, coniugia sacerdotum, & nuptias consanguineorum. Ad quæ perficienda Petrum Damiani Raucennatem, sanctitate, doctrina, & rerum gerendarum peritia clarum eremitam, Othiēsi ecclesia decorauit. Qui sub ipso & successore prudenter Mediolanenses ad obedientiam Romanæ sedis, cui multis annis rebellauerant, reuocauit. Leodiensi episcopo, antiquæ residentix non immemor, misit pretiosum superhumeralē. Sedit vir sanctus mensibus ferè octo, & cum moriturum se breui præsentiret, periijt ex Hildebrandi demum consilio, quem ad Imperatorem legatum miserat, ecclesiam ordinari.

Die

Die trigesima Martij.

De sancto Verono, confessore.

Ex Olberto abbate Gemblacensi, & informatione
quam Lambecca à Pastore accepi.

*Olbertus in
Chronica
Hannonum
& alibi,
manu scri-
ptus.*

Lambeccæ, in confinio Brabantia & Hanno-
nia, transitus sancti VERONI confessoris,
fratris sanctæ Veronæ. Hic asseritur filius fuisse
Ludouici, regis Teutoniæ & Alemania, fratris
Caroli Calui. Sed Olbertus abbas, qui ad Ragi-
nerum Comitem eius inuentionem, & miracula
scripsit, fatetur quidem eum temporibus Nord-
mannorum vixisse, sed addit genealogiam & vi-
tam, occasionem quamlibet inuidendo sustulisse,
ideoque Deum eam miraculis specialibus nobis
commendasse. Anno itaque quarto vltra millesi-
mum Humberto presbytero se & natalem suum
reuelare dignatus est. Cumque diuersa miracula
subsequerentur, & Brachbantenses partes intole-
rabiles tolerarent seditionum oppressiones, Ra-
ginerus Comes corpus sanctum ex villa Lembec-
ca, quæ nullas habebat munitiones, transtulit
Castrilocom, ad monasterium sanctæ Waldetrudis.
Lembeccani tamen portionem reliquiarum
habent, quæ in capsâ, feria secunda Pentecostes,
defertur Tubecam. Vtraque autem ecclesia, Mon-
tensis inquam & Lembeccana, natalem celebrat
penultima die Martij, inuentionem die vltima
Ianuarij.

Dicitur autem Lembecca ab Olberto, villa id est, ciui-
tas, eo quod incolæ ius ciuium habeant. Quo in iure di-
cunt se vicinos Hallenses præcedere. Fuit autem anno
1181. grauis discordia de iure ditionis inter Balduinum Co-
mitem Hannoniæ, & Godefridum Lenaniensem.

Die